

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
USU
HOMOEOTELEUTORUM
ANTIQUO ET RECENTIORI,

CUJUS
PARTEM PRIOREM,

DE
HOMOEOTELEUTIS SOLUTÆ ORATIONIS,
VENIA AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societ. Patriot. Holm.
Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

pro Gradu Philosophico

ventilandam modeste sistit

JONAS HOLMLIN,

Stip. Bilmark. Sudermannus.

IN AUDIT. MINERALOG. DIE XXVII MAJI MDCCCVII.

H. A. M. S.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

IN
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
MAGNAE FIDEI VIRO,
DIOCESEOS STRENGNESENSIS EPISCOPO,
REGII ORDINIS DE STELLA POLARI MEMBRO,
ACADEMIÆ SVECANÆ OCTODECIMVIRO,
REGIAE ACAD. LIFT. ELEG. HIST. & ANTIQ. SOCIO,
REVERENDISSIMO DOMINO DOCTORI
JOHANNI ADAM. TINGSTADIO,

Macenati Summo,

Sacrum

debuit, voluit

Reverendissimi Nominis

cultor devotissimus
J. HOLMLIN.



Aurum est judicium superbissimum.

CICERO.

Præter tropicam sermonis rationem, cuius usur-
pandæ necessitatem ipsa lingvarum inopia primo
imposuit, retinendæ cupiditatem injectit magna rei
jucunditas, nulla fere sunt verborum, nedum senten-
tiarum, lumina, quibus vehementior animi impetus,
persuadendique aut placendi studium non libenter o-
rationem antiquitus jam distinxerint. Ut enim nar-
ratur ROBERTUS TALBOT, Anglus, contumacem,
qua affligebatur LUDOVICUS XIV Galliae Rex, frigi-
dam febrem, peruviano, tum parum cognito, corti-
ce, expugnaturus, medicis ancipitem hominis &
exteri & artis doctrina non imbuti curam subtimen-
tibus, & quid eset febris feisitantibus, respondisse,
morbum esse, quem illi definire, is sanare, scisset:
sic non tam a Rhetorum scholis, quam ab ipsa natu-
rae excellentis, idoneis occasionibus incitata, vi ea
A eru-

eruperunt elegantioris dictionis deora atque ornamenta, quæ impositis cuique nominibus longo ordine recensere tum demum fere coeperunt facundiæ magistri, cum inclinata jam Eloquentia a naturali dignitate ad arcessitas potius quam sponte natas venustrates defecisset. Commemorari igitur a Rhetoribus videas multa, in primis lexeos, schemata, quorum si non omnino nullus, parcior tamen & circumspctus conceditur in germana & mascula eloquentia usus, quorumque haud exiguam copiam suo jam tempore exhibavit & expolit QUINTILIANUS (*a*), suisque olim plura de figuris, quam necesse erat, tradita, nullumque prope finem factum exquirendis nominibus, haud immерito existimans. In horum autem nonnullis ut rem ipsam minus, quam inutilem appellationum sedilitatem, damnavit, ita servavit etiam unum alterumque, de quibus, utrum in vitio an in laude sint ponenda, ab aliis fuit dubitatum.

Sic ab *Homoeoteleutis* sive *Desinentibus* similiter, in prosa saltem oratione, consultius abstineri non defuere qui putarent, & puerilem iisdem exprobrarent, simulque inslavavem & gravitati inimicam, redeuntis soni consecrationem (*b*). Quorum quo loco sit haben-

a) De institutione oratoria L. IX c. 3 f. 87-99.

b) Vid. in primis C. H. WEISSIUS de stylo Romano L. V c. 10. Cfr. LUCILIUS apud GELLUM Noct. Att. L. XVIII c. 8 & Pseudo-DEMETRIUS περὶ ἐγμηνειῶν f. 26-28.

bendum judicium, constituta in antecesum vera vocabuli notione, facilius perspicietur.

Affine igitur Homoeoptoto Homoeoteleton, & communi Homoeocatalecti genere comprehensum, ab illo sic distinguere solent Rhetorum plerique, ut membris duobus vel pluribus eodem casu aut tempore junctis illud, simili sono exeuntibus hoc, continetur. Qued discrimen, ab AQUILA Romano (*c*) & P. RUTILIO LUPO (*d*) mire turbatum, sublatum penitus voluit J. C. SCALIGER (*e*), in eo certe errans, quod in omni similiter cadente inesse etiam similiter desinens temere affirmaret. Confirmantibus vero vulgarem vocum usum CICERONI (*f*) & QUINTILIANO (*g*), atque inter Græcos, laudato jam DEMETRIO (*h*), ALEXANDRO (*i*) & PHOEHAMMONI (*k*) ita

A 2

as-

a) De figuris elocutionis §§ 4, 5. Correxit utcunque errorem MARCIANUS CAPELLA Satyr. L. V.

d) De figuris sententiarum & elocutionis L. II. §§ 13, 14.

e) Poëtices L. IV. c. 41.

f) De Oratore L. III. c. 54 f. 206. Orat. c. 12 f. 38, quibus cum locis conferas Rhetic ad Herennium L. IV. c. 20 f. 28.

g) L. IX. c. 3 f. 77 sqq.

h) S. 26-28 & 281.

i) Περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων c. 18, 19.

k) Περὶ σχημάτων δητορικῶν L. II. c. 5. f. 10.

assentimur, ut Epiphoram s. Epistrophen (*l*), h. e. perfectam clausularum similitudinem (rhythmum idem-
ticum nonnullorum, Gallorum *rimes riches*) ab Homoeoteleuti figura removeamus, neque verum obti-
nere putemus Homoeoteleuton, nisi aut binis saltet,
eiusdem in utroque quantitatis (*m*), syllabis (femini-
no, quem vocant, rhythmo) extrema responderint,
aut si ultima tantum syllaba (masculinum efficientia
rhythmum) convenerint, ne aures obscurior præter-
labatur sonus, longioris hæc fuerit in pronuntiando
moræ, eademque insignis accentus determinatione.
Satis enim, ex nostro iudicio, commode a *Consonan-*
tia sive *rhythmo* (*n*) perfecto distinguitur *A consonantia*,
qualis, si parum Romanis erendum est auribus, in
istis: "audacter territas, humiliter placas" (*o*) istis-
que: "non verbis sed armis" (*p*) occurrit; qua obser-
vata differentia & minus habebimus homoeoteleuto-
rum,

l) Conversionem appellat Auctor Rhet. ad Herenn. L. IV. c. 13 f. 19. Commemorat etiam FABIUS L. IX. c. 3 f. 30, sed sine nomine.

m) Ultima tamen longa an brevis sit, in linguis jam floren-
tibus parum refert, cum in talibus minus acute audiamus
hodie.

n) Abuti hoc vocabulo, post magnam jam antesignanorum
turbam, etiam nobis licebit.

o) Auctor Rhetic. ad Herenn. L. VI. c. 20 f. 28.

p) QUINTILLIANUS L. IX. c. 3 f. 75.

rum, & iis quæ habemus, jucundius, si opus fuerit,
utemur.

An vero hisce sonorum repetitionibus revera aliquid insit svavitatis, disceptatum, ut jam diximus, fuit. Quod si quis dicat ejusdem aut valde similis soni in una junctisque vocibus recursum vel onomatopoeiam sapere, vel tinnulo & ludibundo clangorem ipsam ridendam præbere & in contemptum adducere, non pauca ex linguis fere omnibus colligere poterit exempla, quibus tueatur sententiam. Ut enim illa taceamus manifeste onomatopoëtica, Græcorum μορμύρειν, Latinorum murmur, baubari, cuculus, turtur, Gallorum tic-tac, Anglorum pit-a-pat, aliaque horum similia; a sequentibus, Græcorum βόρβορος & βούβαλομβάζ, Latinorum temere, perpetrus, furfur, titubo, titivilitium, nostratum på må få, huller om buller, slidder fladde, Gallorum bonbon, joujou, péle-méle, Anglorum pell-mell, & slip-slop, Germanorum wirriwarr, ceterisque hujusmodi multis, non abesse vilitatis aut contumeliæ notam, quis est qui non videat? Quis porro non adstipuletur egregio elegantiarum arbitro Cl. HOME (q), aliquam saltem ludicræ vis, qua eminet poëma BUTLERİ *Hudibras*, partem ex Homoeoteleutis in jambico quaternario versuum genere sæpius recurrentibus deri-

van-

q) Elements of Criticism Ch. XVIII. Sect. 4. Vol. II. p.
320 (Edit. Basil. 1795).

vanti? Docebunt autem vel ista jam dicta onomato-poëtica, ne in graviori quidem digniorique stilo omnino displicere parcam modestamque ejusdem auctoritatis soni geminationem; qua igitur in ceteris eo minus offendentur aures, quo longiori, sed modico tamquam, intervallo a se invicem distiterint repercussi verborum aut syllabarum sonitus. Intervenientibus namque aliis stridulus ille similium attritus minus sentitur: idemque, ut in longinquitate nimia totus perit, ita justa hebetatus distantia poterit, adjuvante in primis consuetudine, etiam delectare.

Ad rem universam hæc forte sufficerint: sed postulat diversus soluti ligatiisque sermonis habitus, ut quid huic quid illi conveniat seorsum expendatur. Et sane

*Qui utrumvis recte norit, ambos noverit:
Non ita sunt disimili argumento, sed tamen
Disimili oratione sunt facti ac stylo (r);*

cum autem totum a nobis absolvi argumentum nec tempus nec facultates finant, alteram ejusdem partem commilitoni, & quidem populari, elaborandam commendavimus.

Minutum parvæque laudis in prosa dictione esse extremorum simili sono claudendorum studium, is

cer-

r) TERENTIUS in prologo Andriæ v. 10-12.

certe, qui hujus artificii perhibetur inventor, GORGIAS puta Leontinus (*s*), nequaquam cogitavit. Lepidas enim summæque, ut putabat, elegantiae festivitates, a reliqua Sophistarum turba, aliisque ejusdem temporis viris, POLO, LICYMNIO, THUCYDIDE cet. avide arreptas (*t*), mox etiam ISOCRATES (*u*) & vehementer amplectebatur & amplissimæ scholæ, doctrina non minus quam exemplo, commendabat. Quos omnes licet increpari passim & frivolo ornamento ad naufragium usque abusos judicari alii audirent, nec ipsi tamen eodem abstinuerunt semper. Sic vel DEMOSTHENES alicubi: τῆτε πόλει βουθεῖν οἴεται δεῖν, καὶ δίκην ὑπέρει ποτὲ λαβεῖν; sic in hunc ÆSCHINES: ὡς πρὸς μὲν τὰ μεγάλα τῶν ἔργων ἀπάντων ἀνθεώπων ἀχρειστάτης πρὸς δὲ τὴν ἐν τοῖς λόγοις τόλμαν θαυμασιώτατος (*x*); sic CICERO: “antequam de re, pauca de me” (*y*) “dummmodo ea nos utamur pro salute honorum contra amentiam perditorum” (*z*); “illa definitio judiciorum æquorum - - - retineatur, ut in
ju-

s) CICERO Orat. c. 52 f. 175.

t) DIONYSIUS Halicarnass. de Thucydidis historia c. 22.
Idemque de iis, quæ Thucydidi propria sunt c. 3. 17.

u) Idem de admiranda Demosthenis in dicendo vi ε. 6. cfr.
QUINTILIANUS L. IX. c. 4 f. 35.

x) Orat. in Demosthenem c. 48.

y) De natura Deorum L. III. c. 2 f. 5.

z) Orat. pro Milone c. 5. f. 12.

judiciis & sine invidia culpa *plectatur*, & sine culpa
 invidia *ponatur*^(a); “ab his me amari putabam qui
invidebant: eos non sequebar qui *petebant*^(b); “lex,
 quam non *didicimus*, *accepimus*, *legimus*, verum ex
 natura ipsa *arripuimus*, *hauiimus*, *expressimus*^(c); “ut
 ejus semper voluntatibus non modo cives *assenserint*,
 socii *obtemperarint*, hostes *obedierint*, sed etiam venti
 tempestatesqne *obsecundarint*^(d), qui locus etiam
 decusato sono notabilis; sic QUINTILLIANUS: “de-
 fenditur enim aliquatenus *estate*, *dignitate*, *authorita-*
te^(e); PLINIUS minor: “faciam ego quod desideras
 tam *diligenter* quam *libenter*^(f); JUSTINUS: “telo
 si primam aciem *prafregeris*, reliquo ferro vim no-
 cendi *sustuleris*^(g); tandemque, jam enim satis est
 exemplorum, APULEJUS: “Mulieres candido splen-
 dentes *amicagine*, vario *laetantes gestamine*, verno flo-
 rentes *coronamine*^(h); quas omnes, multasque præ-
 terea, partim assonantias, partim plenas consonan-
 tias

a) Orat. pro Cluentio c. 2 f. 5.

b) Epistolar. ad Diversos L. XIV. ep. 1.

c) Orat. pro Milone c. 4 f. 10.

d) Orat. pro lege Manilia c. 16 f. 48.

e) L. XI. c. 1 f. 28.

f) Epist. L. III. ep. 15.

g) Hist. Philipp. L. VI. c. 8.

h) Afin. aur. L. II.

tias imprudentibus excidisse ne cogitari quidem potest. Nam etsi vitandum esse similiter cadentium, & in reprehenso incerti poëtæ versu desinentium quoque similiter, continentem usum recte monuit Librorum ad Herennium auctor (*i*), nec minus recte a NOL-
TENIO (*k*) observatum fuit, ipsum CICERONEM, ut manifestum nimis effugeret concordantis soni concursum, ejusdem terminationis vocabula a membrorum clausulis ad minus extantia sententiæ loca nonnunquam transtulisse, non adeo tamen cacophona solutæ orationis homoeoteleuta judicarunt veteres, ut nullius hæc essent ad illuminandam dictionem usus. Non culparunt nisi nimium harum venustatum aeu-
pium; cumque *omnibus in rebus similitudo sit satietatis mater* (*l*), illarum non levem raru[m]que gustum sed saturitatem vituperarunt. Theatram, quin pueri-
lem, si cerebrius nec conveniente loco adhibeas, ef-
figi figuram DIONYSIUS censuit Halicarnasseus (*m*),
sed, quoties in acres sententias incidat, pulcram QUINTILIANUS (*n*) autumavit, unde facile patet,
cur in tenui dicendi genere vitiosam eam habuerit

B

CI-

i) L. IV. c. 12 f. 18.

k) Lexic. Latinæ Lingvæ Antibarb. T. I. p. 1669.

l) CICERO de Invent. L. I. c. 41 f. 76.

m) Locis jam citatis.

n) L. IX. c. 5 f. 76.

CICERO, & in veritate causarum rarius occultiusque admittendam (o). Valet igitur de hac, ut de omnibus in universum conformatiōnibus verborum artificiosis, quod de sententiis pronuntiavit FABIUS (p): *Ego hæc lunina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiæ credo; sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officium suum perdant;* itemque hæc ejusdem: adjiciam breviter, sicut ornant orationem opportune positæ, ita ineptissimas esse, cum immodice pertinentur. Sed ne hæc quidem, quæ recte sunt, densandæ sunt nimis - - - sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid tempus. Major enim pars harum figurarum posita est in deleßatione. Ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis & pariter cadentibus & consimilibus irascentem, flentem, rogantem cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem, & ubiquears ostentatur, veritas abesse videatur (q); nec non Auctoris ad Herennium sequentia: Perraro sumenda sunt (Homœoptota, Homœoteleta & Paronomasiæ) cum in veritate dicemus; propterea quod non hæc videntur reperiri posse sine elaboratione & consumtione operæ. Ejusmodi autem studia ad deleßationem, quam ad veritatem, videntur accommodatio-

o) Orat. c. 25 f. 84. c. 12 f. 58.

p) L. VIII. c. 5. f. 34.

q) L. IX. c. 3 f. 100-102.

tiora. Quare fides & gravitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis - - - propterea quod est in his lepos & festivitas, non dignitas neque pulchritudo. Quare, quae sunt ampla & pulchra, diu placere possunt: quae lepida & concinna cito satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. Quo modo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimus elocutio- ne delectari: ita si raro has interseremus exornationes, & in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinetis illustrabimus orationem (r). Quibus haec addimus Pseudo-Demetrii: Χεῖσις δὲ τῶν τοιέλαν κώλων ἐπισφαλής ἐγε γαρ δεινῶς λέγοντι ἐπιλύδεια ἐκλύετ γαρ την δεινότητα οὐ περι αὐτὰ τερθρεία καὶ φροντίς. -- Θυμός γαρ τέχνης οὐ δεῖται - - - ἐγε δῆτα εν δεινότητι χρήσιμα τα τοιάυτα - - - ἐγε εν πάθεσι καὶ θέσειν απλέν γαρ εἴναι βέλεται καὶ αποίητον τὸ πάθος ὄμοιῶς δὲ καὶ τὸ ιδος. -- Γίνεται μέντοι χε χρήσιμα ποτε - - - τῇ γαρ μεγαλυγορίᾳ συνεργοῖεν τα τοιάυτα κώλα (s).

Exscripsimus haec, quamquam longiora, ut constaret, optimos veterum & oratores & rhetores ab hisce deliciis non penitus abhorruisse, sed lusisse vel ipsos nonnunquam liberius, ea tamen cautione, ut moderato opportunoque harum usu contenti, intempe- rantem earumdem profusionem luxuriantibus liben- ter relinquenter ingenii. Fieri omnino potuit ali- quando, ut etiam inscientibus exciderent non quæsi- tæ; sed rarius hoc contigisse putandum est, esetque

r) L. IV. c. 22 sq. f. 32.

s) Περὶ ἐργασίας §§ 27-29.

omne schema vitium, si non peteretur, sed accideret (t). Cum igitur a bene multis præstantissimæ Græcitatis Latinitatisque auctòribus non admodum refugiantur, nimiæ severitatis offenditionem non satis vitavit NOL-TENIUS, cum homœoteleuta profæ dictionis omnia, nisi in jocosis familiaribusque scriptionibus, subtili Romanarum aurum judicio vix ferenda pronuntia-ret, ipsumque CICERONEM, quicquid contra hanc legem commiserit, id fere omne parum caventem & incuria langvidum admisisse, arbitrietur. At ne nos quidem diffitemur, ipsis nobis magnopere displicere in nostrorum temporum scriptis prosaicis, sive latiali sive alio quodam sermone exaratis, similem membrorum exitum; sed propterea in primis, quod, cum hodie nihil sit rhythmicis carminibus frequentius, si idem in prosa fiat, inferiri in eam versus videantur, quo vitio, cui tamen ad fastidium usque indulserunt & nonnulli Ecclesiæ patres, & inter recentiores A-sceticus Germanorum scriptor COBERN, nostratibus etiam ex Svecana metaphrasi notus, vix ullum esse potest ingratius. Eiusdem vocabuli repetitione, si cum virtute fiat, poterunt etiam nostræ aures delectari; sed ab homœoteleutorum lusibus ideo magis quam Romanæ abhorrebunt, quod dicendi generibus permutari & confundi visis, non verum carmen, sed falsam carminis præ se speciem ferens lacinia apponatur.

t) QUINTILIANUS L. IX. c. 3 f. 2.
